



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 1. Animæ balneum, lachrymæ pœnitentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

veniam impetret; estque tam mitis, ut gloriosum ducat, *misereri hominum*, etiam *rem male gerentium*. Hanc indolem à Magistro suo Sancti trahunt, qui sciunt, misericordiae esse officium, miseris succurrere.

C A P V T X V I I I .

*Deum, infinita sua clementia, omnes ad pœnitentiam gratiarumq; actionem inuitare.*

§. I.

*Anima balneum, lachryma pœnitentis.*



Anguis Christi Seruatoris tantæ est efficacitatis, ut non ille solùm delere peccata mortalium possit; sed etiam vim conferat sanguini Martyrum peccata propria abluendi, & alienis veniam impetrandi. Neque sanguini tantùm, sed etiam aquis Baptismi, & lachrymarum hanc virtutem indit. Scribit Aristoteles, fontem esse in Sicilia, in quo si aues aliq; animalia suffocata immergantur, reuiuiscant. Et multos audiui oculos testes, qui se vidisse affirmarunt, canes in antrum quoddam Italiae inductos viuos, reductos pestilenti aurâ velut mortuos; qui, si in proximum stagnû iniiciantur, ad se & vitam pristinam redeât.

Aristoteles in Admirandis cap. 28.

D d

Quis

Quis hîc non agnoscat magistrâ poenitentiae atque lachrymarum naturam? Defuncta erat Deo Magdalena; *lachrymis cepit rigare pedes Christi, & reuixit: audiuit enim: Remittuntur tibi peccata. Fides tua te saluam fecit: Vade in pace.* Mortuus erat Deo Petrus, quando *cepit detestari & jurare, quia non no- uisset Christum; sed reuixit, ubi egressus foras fleuit amare.* Nimirum sciuit benignus Pater, non omnes adeo fortes fore, ut per martyria, & sanguinem fustum, peccata sua possint eluere; voluit ergo contentus esse, si vel lachrymis ea ablueremus. Hoc significauit fons ille, qui de latere Christi exiliens nos miseros mortales toties lethalibus plagis affectos, toties exanimatos ad vitam reuocauit. Nam quando *unus militum lancea latus eius aperuit, continuo exiuit sanguis & aqua.* Fons sanguinis Martyrium, fons aquae Baptismum & Poenitentiam expressit. Siquidem, ut D. Augustinus ait: *Poenitentia languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitât, sanitatem auget, gratiam conseruat, claudis gressum, aridis copiam, cecis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem unit & roborat.* Hoc conciliationis remedium Deus inimicis suis largitus est. Pro sanguine suo, lachry-

Luc. 7. 38.

Matt. 26. 75.

Io. 19. 34.

S. Aug.  
lib. de  
Pœnit.